

cesso, suboriuntur, facillime ita mihi videntur auferri posse, ut non tam antiquentur instituta majorum et ipsa privilegia, quam, si suos cuique agros pro lubitu colere publice concessum fuerit, quanti quaeque privilegia facienda sint, ex certa loci temporisque norma accurate investigetur et ex quocumque pacto alteris ab alteris restitui jubeantur.

Eodem modo, quae ex decumarum pensione prodeunt, impedimenta omnino removeri possunt, ut iis, quibus debentur, aestimato pretio earum loco nummi aut agri dentur.

Haud secus angaria ex fructu, quem praebeat dominis, aestimanda esse mihi videtur. Neque enim persuadere mihi possum, tot ejus tollendae pericula frustra facturos fuisse, si ejus fructum dominis, pretio satis exacto, vel certam ruris particulam pecuniaeque aliquam summam solvendo vel etiam alius generis tributa quotannis pendendo compensari jussissent.

Denique illud incommodum, quod in immutabili agrorum et fundi conjunctione cernitur, facili negotio tolli potest. Necessesse est autem, ut, qui hanc rem curare jubeantur, accedant satis instituti, quibus modis rerum mutationes facillime possint juvare. Hoc modo futurum esse arbitror, ut non solum propinqui et confines plerisque fundis agri dispensentur, sed etiam aliorum paupertati succuratur, aliis ditioribus agricolis fundi amplificandi detur occasio. Insuper divendendorum agrorum venia data, in universa re publica non modo multa alia mala tolli, sed etiam multa utiliter institui posse mihi videntur, v. c. viae rectae et ad vehendum omnino commodiores, aquae ductus etc.

Hunc in modum igitur mutatis rei rusticae rationibus non est verendum, ne quae casu et, malis hominum artibus sese offerunt in multa quaestum commoda amplius impediunt.

Sic revocatis ad geometricam mensuram agris nulla facile lis de eorum finibus suscipietur, aut brevi saltem dirimetur. Ac si homines rerum vere periti arbitris a consiliis esse debent, omnia recte dijudicabuntur. Fundi, quod non facile a semidoctis aut prorsus